



~~Platz~~
~~Dublm~~

a. A.: 4 an Jf 3625 (Jf 2198)

m. Pom. Vg 1642^a

Q-K.

Z

J. q. 299.

SECUNDA
DISPUTATIO,

DE VERA, REALI
ET SUBSTANTIALI
præsentia corporis & sanguinis Je-
su Christi, in Sacramento
Altaris.

Præside
D. Andrea Musculo.



Francfordiæ cis Viadrum,
Anno 1574.

DE SECVNDATA
DISPUTATIO
DE VERARVM
LITVSTANTIALI
PRACTICA CUNCTARVM
IN CHIRURGIA

DE ANDREA MUSCULO
CUIUS VITAM & INSTITUTIONEM
DESCRIBIT KOLONIENSIS P. MUSCULUS

DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE

DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE

DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE
DE VITAE RATIONE



DISPUTATIO
TIO SECUNDA,

De regula complectente
summam doctrinae de praesentia
Christi in Coena,

I.

Nihil habet rationem Sacramenti veri, extra usum
diuinitus institutum.

II.

Stat ergo veritas, Adorationem panis consecrati,
extra usum & institutionem coenae Dominicae, esse
detestandam idolomaniam Pontificiam,

III.

Stat veritas, eiusdem panis inclusionem, circum-
gestationem, applicationem ad eiectionem Dæmo-
num, ad vberiorē frugum prouentum, ad restinguenda
incendia, &c. referendam esse ad reliquas Pontifici-
as abominationes.

IIII.

Stat veritas, & oblationem in Missa Pontificia,
pro viuis & mortuis, inane spectaculum esse, & pro-
phanationem sacrae coenae, contra Christi institutio-
nem & legitimum usum Sacramenti introductam.

V.

Cum vero haec & similia portenta, satis constet
ex transsubstantiationis Aristotelicis imaginationibus
suam traxisse originem, bene & recte fecerunt, qui

A 2

matrem

matrem multorum errorum, cum sobole & foetu copiose effuso, ex domo Domini eiecerunt.

VI.

Panem vero post consecrationem non communem aut vulgarem panem esse, sed aliqua reuerentia dignum, cum veteribus Ecclesiae Doctoribus pie censemus.

VII.

Quod & verba Christi non obscure aut ambigue, sed satis liquido demonstrat, eo ipso, quod Autor coenae panem suum esse corpus, & vinum suum sanguinem esse dicit. Et D. Paulus panem communicationem corporis Christi vocat.

VIII.

Hinc recte & pie cum Theodoro dicimus: Deum symbola conspicua honorasse appellatione corporis & sanguinis, non mutantem naturam, sed gratiam naturae apponentem.

IX.

Cum eodem asserimus, post consecrationem Sacramentalia symbola non amittere suam naturam, sed remanere in sua substantia priori, figura & forma, & conspici & tangi sicut ante consecrationem: intelligi autem qualia facta sunt, et digna veneratione coli.

X.

Recte ergo & pie dicimus, ex genuino & perspicuo verborum Christi intellectu, panem esse corpus Christi, non tantum in pane esse corpus; Et quia panis est corpus Christi, recte asserimus non esse amplius communem panem, sed quadam mutatione facta, panem esse discretionem & reuerentia dignum.

Nam

XI.

Nam hic panis, & hoc vinum, in legitimo vſu cœnæ, non eſt (ut veteres & recentiores Sacramentarij & Calviniſtæ, ſpiritu mendaciſſi & vertiginis agitati blaſphemant) tantum ſigillum ac pignus fidei, ſignum, figura, vel typus corporis & ſanguinis Chriſti, ſed eſt ipſum corpus Chriſti.

XII.

Hoc corpus & hic ſanguis Chriſti, eſt certum & firmum ſigillum, confirmatio & obſignatio fidei & ſpiritualis manducationis.

XIII.

Exhibetur enim in cœna digne accedentibus & manducantibus, non tantum fructus & efficacia, ſed ipſa eſſentia corporis Chriſti.

XIIII.

Sic duplicem in cœna dicimus manducationem eſſe: Manducationem naturalis panis & vini, & cœleſtis corporis & ſanguinis Chriſti, realiter & ſubſtantialiter veriſſime præſentis.

XV.

Non enim fide tantum ſumus participes corporis & ſanguinis Chriſti, ſed etiã ore eſſentialiter ſeu corporaliter illa accipimus.

XVI.

Sic fidei ſpiritualis manducatio eſt continua & quotidiana, omnium horarum in vere credentibus, & eſt communis etiam veteris Teſtamenti Patribus.

XVII.

Sed corporalis manducatio propria eſt tantum noui Teſtamenti, & eſt teſtificatio, pignus, & obſignatio manducationis ſpiritualis, Et coniuncta eſt cum

Substantia corporis & sanguinis Christi.
XVIII.

Statuenda est igitur duplex manducatio, spiritualis communis omnibus pijs, etiam in veteri Testamento, & corporalis seu essentialis, propria noui Testamenti.

XIX.

Corporalem autem intelligimus, non tantum de naturali & sensibus subiecta, qua cibus dilaniatur, & conteritur dentibus, sed etiam de arcana, mystica, & præternaturali, qua corpus Christi non conteritur dentibus, nec alteratur in nobis, sed potius nos alterat, & substantiam corporis & animæ nostræ transmutat, & sibi agglutinat, & efficit nos participes vitæ æternæ, quæ etiam Sacramentalis dici potest.

XX.

Ac si quis & hanc spiritualem, quam nominamus corporalem esse contendat, non reluctamur: nam dicimus & hanc esse spiritualem, sed tamen à spirituali, quæ fit per fidem, discernimus, atq; corporalem vocamus à præsentia corporis & sanguinis.

XXI.

Manducatio spiritualis sola viuificat, & salutem tribuit, sed corporalis est obsignatio & pignus alterius: & hæc sine spirituali non viuificat.

XXII.

Instituta est ergo cœna Dominica, non vt ipse ritus cœnæ, vel panis & vinum, fidem in ijs, qui vtuntur cœna, excitet, & fiat in manducatione panis recordatio beneficiorum Christi in cœna exhibitorum, sed vt
ipsa

ipsa manducatio in pane corporis Christi veri, vere
præsentis & non absentis, & in vino sanguinis perce-
ptio, fidem confirmet & corroboret.

XXIII.

Recordari ergo Christi, non est beneficia in panis
& vini perceptione meminisse, ac sentire quod vere ea
nobis exhibeantur, sed est meminisse, quod in man-
dicatione panis, hoc ipsum corpus manducemus, hoc
corpus nobis exhibeatur, quod pro nobis traditum
est, hoc corpus quod pependit in ligno, et hic sanguis
qui in ara crucis effusus est in remissionem peccato-
rum.

XXIII.

Vt sicut ore percipimus & manducamus verum
corpus Christi, ita firmiter statuamus, hoc pignore
corporis & sanguinis Christi obsignati, nobis omnia
peccata remissa, omnes infirmitates nostras sanatas,
de interitu redemptam vitam nostram, nos misericor-
dia & miserationibus Domini coronatos esse.

XXV.

Cum Sacramentarijs ergo perperam sentiunt,
qui ipsum ritum seu cæremoniam harum rerum nos
admonere dicunt, & non potius ipsam veri corporis
manducationem veram, & ipsam sanguinis percepti-
onem esse commonefactionem tantarum rerum in
in cœna exhibitarum statuunt.

XXVI.

Nos autem sic sentiendo & loquendo de man-
dicatione

ducatione corporis Christi, & sanguinis perceptione,
non stabilimus imaginationem impiam & pravam
Pontificiam, quod cœna Domini sit opus, quod ex
opere operato mereatur remissionem peccatorum.

XXVII.

Sed sentimus & credimus, quod fiducia tantum-
modo operis operati Christi in cruce, remittantur no-
bis peccata.

XXVIII.

Corde namq; verè contrito, fide & ore mandu-
camus corpus Christi pro nobis traditum, & bibimus
eius sanguinem in remissionem peccatorū effusum:
ac erigimus nos, sic fide confirmati corporali illa per-
ceptione etiam corporis & sanguinis Christi, sub pa-
uoribus peccati & terroribus legis, & agimus Deo
gratias, pro accepto corpore & sanguine Christi, &
omnibus beneficijs in ipso, & per ipsum nobis exhi-
bitis.

XXIX.

A quo fine etiam, nimirum à manducatione & per-
ceptione corporis & sanguinis Christi, vocavit sancta
vetustas totum actum sacre synaxis Eucharistiam, cul-
tum glorificationis merito Deo offerendum, propter
tot ac tanta salutaria beneficia, in cœna nobis exhi-
bita.

XXX.

Hanc vero præsentiam Christi in cœna, præsens
suum corpus, non absens, nec remotum, aut in certo
loco in cœlo affixum, & verum suum sanguinem ex-
hibentis, confitemur cum Ecclesia Catholica, & com-
muni & vnanimi consensu veterum Orthodoxorum
Ecclesiæ

Ecclesiae Patrum constituere, solaverba Christi in
coena, in legitimo & vero usu, secundum institutio-
nem ipsius & mandatum, à Sacerdote pronuncia-
ta.

XXXI.

Sicut enim in prima coena statim ad verborum
pronunciationem, aderat corpus & sanguis Christi: sic
nulla ratione diversitatis obstante, piè credimus, & cre-
dentes confitemur, hodie quoque ad eorundem verborum
prolationem, adesse Christum praesentem.

XXXII.

Quia haec verba pronuntiata, non sunt verba
Ministri, sed Christi, eiusdem per omnia potentiae
virtutis, & efficacitiae, ut in prima coena, ita deinceps
usque ad consumationem seculi.

XXXIII.

Rectè ergo & infallibiliter credimus, ad horum
verborum pronunciationem, in omni coena, secun-
dum institutionem Christi celebrata, praesens esse in
pane verum corpus Christi, & in vino verum eius
sanguinem.

XXXIV.

Sicut enim Angelo nunciante, & spiritu aduenis-
sente, mox verbum in utero virginis est caro: Sic & in
coena ad verborum institutionis Christi pronunciatum,
& maxime horum: hoc est corpus meum: hic est san-
guis meus, adest in pane praesens corpus, & in vino
sanguis verbi incarnati.

XXXV.

Hinc singulis aetatibus Ecclesia semper approba-
uit hoc

B

uit hoc

uit hoc verissimum dictum D. Augustini: Accedit
verbum ad Elementum & fit Sacramentum.

XXXVI.

Improbamus ergo, vt alienam à vero intellectu
verborum Christi in cœna, hanc recens adeo natam
opinionem, qua asseritur, quod ad constitutionē præ-
sentiaē Christi in cœna, sit necessaria fides accedenti-
um.

XXXVII.

Sic nec horum commentum recipimus: qui ad
constitutionem praesentiaē corporis & sanguinis Chri-
sti, de necessitate requirunt oris manducationem, imò
totam cœnae actionem, quæ tamen vt cœna sit integra
& vt tota seruetur sacramenti institutio, abesse non de-
bet.

XXXVIII.

Ad stabiliendas vero prauas opiniones suas, ad-
ducunt illi regulam recens adeo natam (quæ recte ta-
men intellecta suum habet locum in cœna Dominica)
Qua statuitur nihil habere rationem Sacramenti extra
vsum.

XXXIX.

Quæ regula praesentiam Christi in cœna, ad vere-
borum pronunciationem, non excludit, non enim lo-
quimur de verbis Christi extra cœnam, aut non ad v-
sum institutionis seu manducationis destinatum.

XL.

Et quia hæc pronuntiatio in vsu verborum Chri-
sti, con-

sti, constituit praesentiam corporis & sanguinis Christi, etiam ante fidem & manducationem, recte cum Paulo dicimus: etiam impios absque fide accedentes, & ideo indigne manducantes, verum corpus & verum sanguinem percipere, vna cum pijs & digne sumentibus.

XLI.

Nam neque fides, neque accedens manducatio, sed ipsa verba Christi prolata in coena, constituunt praesens corpus & sanguinem Christi.

XLII.

Dicimus itaque: fidem non facere Sacramentum, sed amplecti & apprehendere in Sacramento oblata, in his qui digne accedunt.

XLIII.

Impij vero sine fide accedentes, idem quidem corpus, & eundem sanguinem Christi, vna cum pijs accipiunt, sed essentia tantum, non salutari efficientia, in iudicium & maiorem condemnationem.

XLIII.

Scimus quidem Christum adesse in coena non propter Elementum, ad quod cum verbum accedit, fit Sacramentum, sed propter hominem: Non inde tamen sequitur, hominis fidem aut manducationem, simul cum verbo operari, ad constituendam praesentiam Christi in coena.

XLV.

Nam hanc potentiam, virtutem & efficaciam, soli Dei Filio tribuimus, nec quae Dei solius sunt homini damus.

XLVI.

Recte ergo cum D. Ambrosio dicimus, solo Christi sermone, hoc confici Sacramentum: & cum Augustino, sola hæc verba: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus, conficere Sacramentum.

XLVII.

Amplectimur & vetustissimi Ecclesiæ Doctoris S. Irenæi in hac parte consensum, cum dicit: Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia.

XLVIII.

Sacerdotis quidem ore, vt pie olim D. Chryso- stomus locutus est, verba proferuntur, sed Dei virtute & gratia, hoc verbo quod dicit: Hoc est corpus meum, &c. proposita consecrantur.

XLIX.

Et sicut vox illa, quæ dicit: Crescite & multiplicamini, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox ista, semel quidem dicta est, sed per omnes mentes Ecclesiæ, vsq; in hodiernum diem, præstat sacrificio firmitatem.

L.

Quoniã ergo Christus dixit: Hoc est corpus meum, nullo modo tenemur ambiguitate, sed credimus nos illum panem sumere, qui manu Spiritus sancti formatus est in vtero virginis, & igne passionis decoctus in Ara crucis.

Est

LI.

Est itaq; panis iste, panis ante verba Sacramenti, sed vbi accesserit verbum, panis est corpus Christi.

LII.

Nam non suis vtitur Sacerdos sermonibus, sed sermonibus Christi: ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

LIII.

Hinc patet & constat per verbum nos non intelligere strepitum aliquem, aut verborum sonum Magorum aut Incantatorum more prolatum, sed verbum Christi in coena pronunciatum.

LIII.

Ad hoc verbum in vsu secundum Christi institutionem pronunciatum, dicimus praesentem esse Christum cum suo corpore & sanguine in coena, non magica consecratione panis & vini, non magica substantiae mutatione.

LV.

Adest autem libenter & vult adesse, Dei & Mariae Filius ad verborum suorum pronunciationem, in coena sua, quorum virtute & efficacia, panis est corpus, & vinum sanguis eius.

LVI.

Sacramentario ergo spiritu aguntur, qui Sacramentum hoc dicunt esse tantum ritum, seu nudam caeremoniam additam promissioni in Euangelio traditae: seu pignus & testimonium exhibitae & applicatae pro-

missionis gratiæ, quod mens intuens, commonefiat de voluntate Dei.

L VII.

Nos vero contra hunc spiritum vertiginis blasphemum in cœnam Domini, asserimus, Sacramentum hoc esse exhibitionem, veri corporis & sanguinis Christi.

L VIII.

Non autem ritu ipso aut cæremonia, sed exhibitione corporis & sanguinis Filij Dei, fides in digne sumentibus, de gratuita remissione peccatorum stabilitur & confirmatur.

L IX.

Est ergo pignus, obsignatio, & testimonium promissionum gratiæ, solummodo in pane & vino exhibitum corpus & sanguis Christi.

L X.

Fœdissime ergo contaminant Aram Christi stercoreibus & muscerdis Calvinistarum, atq; in hoc parum cautis fucum faciunt, qui verba quidem multa & magnifica, cum quodam (nescio cuius spiritus) ardore proferunt, de spiritali manducatione, de fructu & efficacia cœnæ, de obsignatione fidei, & testimonijs exhibitorum beneficiorum, sed præcipuam doctrinã de substantia cœnæ & manducatione corporali veri præsentis corporis, sicco pede transiliunt.

L XI.

Habent etenim aliud in lingua promptum, & aliud in pectore clausum, & ne scapham scapham vocitent, eo quo aguntur spiritu, prohibentur.

L XII.

Nec quod corde credunt, ore confiteri audent, ne
Leo

Leo ex vnguibus agnoscat, & suo iudicio tanquam
forex pereant.

LXIII.

Recte autem credere & loqui de coena Domini,
nec tacite cum Calvinistis colludere, est agnoscere &
confiteri, veram corporalem, veri realis ac naturalis
praesentis corporis Christi in coena manducationem.

LXIII.

Hac autem agnita & concessa, tum demum & de
vfu, fructu, & efficaciam, deq; beneficijs in coena exhibi-
tis, loqui, horumq; omnium obsignationem & confir-
mationem statuere, corporalem corporis & sanguinis
Christi perceptionem.

LXV.

Quin & hoc simul statuere & affirmare, etiam
indigne, & sine fide accedentes, cum pijs verum cor-
pus & sanguinem percipere, licet in iudicium, teste
Paulo, eò quod non dijudicant corpus Domini.

LXVI.

Nam & illi pariter accipiunt verum corpus Chri-
sti essentia, etsi non salubri efficientia, vt D. Gregorius
olim recte & pie locutus est.

LXVII.

Nam etsi fides non faciat Sacramentum, nec tamẽ
est salutare sine fide. Sumunt itaq; hoc Sacramentum bo-
ni & mali, vt canit Ecclesia, sorte tamen inaequali, vitae
vel interitus, mors est malis, vita bonis, & paris sum-
ptionis, dispar est exitus.

LXVIII.

Habet ergo sumptio & manducatio corporis Chri-
sti, ra-

sti, rationem Sacramenti, iuxta regulam datam, tam in
his qui fide, quam qui sine fide accedunt.

LXIX.

Ideoq; necq; impijs & indigne manducantibus,
hoc Sacramentum est ociosa caremonia seu ritus: quia
vt bonis in salutem & vitam, sic his cedit in mortem
& interitum.

LXX.

Recte ergo dicitur, manducatio corporalis esse
communis pijs simul & impijs: quia vtriq; accipiunt
corpus & sanguinem Christi, ore quidem & corpora-
liter, licet non corde & spiritualiter, & forte penitus
inaequali.

LXXI.

Quicunq; ergo veri corporis Christi manduca-
tionem in indigne accedentibus, non concedunt, calui
caluini & caluorum caluinistarum cauillationibus de-
cepti, minus dextre de coena Domini sentiunt & lo-
quuntur.

LXXII.

Et tegant sane illi, quibus possunt praestigijs verbo-
rum errorem Sacramentariorum, in hoc vel solo se ho-
rum socios esse produnt, quod in indignis veram veri
corporis Christi manducationem negant.

LXXIII.

Hanc enim dum negant, adeoq; totam ex coena
Domini tollunt, nihil quoq; aliud Sacramentum illud,
quam nudum ritum, seu caremoniam dicere possunt.

Hæc

LXXIII.

Hæc quæ hæcenus asseruimus, ex fontib. Israel, ex verbis Christi in cœna, ex consentienti confessione sanctorum Ecclesiæ Doctorum deducta, complectitur & regula supra posita, omnia & singula.

LXXV.

Restat adoratio Christi præsentis in cœna, ad eandem regulam accomodanda, de qua quæstio est: an sit probanda vel improbanda: licita vel illicita.

LXXVI.

Quo igitur cultu diuino, qua cum reuerentia & summa deuotione, sancta vetustas tractarit & celebrarit cœnam Dominicam, constat ex historijs & scriptis veterum.

LXXVII.

Abominatio vero Pontificia, vt nihil in tota religione Christiana incontaminatum reliquit: Ita & cultum cœnæ Dominicæ foedissime idolatrica consecrati panis adoratione polluit.

LXXVIII.

Ex recentioribus vero Ecclesiæ instauratæ Doctoribus, de cœna Domini aliâs recte sentientibus & loquentibus: Quidam adorationem hanc non approbandam censent: Quidam alienam ab institutione cœnæ esse arbitrantur: Quidam liberam, indifferentem, & quasi adiaphoram hanc faciunt: Quidam quàm proxime accedere ad explosam adorationem Pontificiam putant: Sunt qui piam, rectam & licitam existiment.

C

Nos

LXXIX.

Nos nemini litem in tam diuersis & pugnantibus opinionibus inferentes, sinimus quemq; in suo abundare sensu, modo & nobis hoc ipsum concedatur.

LXXX.

Censemus itaq; adorationem seu inuocationem Christi praesentis in coena, quandoquidem vere praesentem, totum & integrum, secundum vtramq; naturam scimus & confitemur, sine idolomaniae suspitione approbari & concedi posse.

LXXXI.

Extat enim mandatum vniuersale, de adoratione seu inuocatione in spiritu & veritate vbiuis locorum, vbicunq; scimus Deum esse praesentem.

LXXXII.

Hoc mandatum quia est vniuersale, non fuit necesse repetere in coenae institutione, in qua Christus ipse vere praesens, porrigit suum corpus & sanguinem vescentibus in pane & vino.

LXXXIII.

Cum ergo hunc autorem & institutorem suae coenae, credamus & confiteamur Dei & Mariae filium esse Deum & hominem in vna persona, non possumus sine blasphemia & crimine lesae Maiestatis, ei cultum adorationis detrahere.

LXXXIII.

Nam etsi coena propter adorationem non sit principaliter instituta, nec in ea extet mandatum inuocationis, tamen cum verum Deum & Dei Filium confiteamur, eundemq; vere in coena praesentem credamus, requirit ab omnibus Dei cultoribus ipsum vniuersale.

uersale mandatum inuocātionis, vt vere præsenti Christo, Dei & Mariæ Filio, cultum hunc inuocatio- nis, manducantes ipsius corpus, & bibentes eius san- guinem, exhibeamus.

LXXXV.

Nec fieri potest, vt qui corde credit vere præsenti- tem Dei Filium in cœna, non simul ore confiteatur, atq; tum externis signis reuerentiæ, tum internis ge- mitibus, ingemiscēdo & simul adorando, ex præsentis manibus corpus & sanguinem ipsius percipiat.

LXXXVI.

Cumq; constet, propria cuiusq; conscientia & ex- perientia attestante, neminem vere pium, quicquam serio de Deo dicere, imo nec cogitare quid posse, sine concurrente timore Dei, gemitibus, reuerentia & a- doratione, minus certo hoc fieri poterit in ter sacro sancta Synaxi, & communicatione corporis Christi.

LXXXVII.

Hinc sancta Catholica Ecclesia, mansura vsq; ad consumationem seculi, hanc piam consuetudinem ser- uauit, seruat, & seruabit, vt ad mentionem nominis di- uini factam, imo ad verborum lectionem Euangelij, auditores genua flectant, capita nudent, & cum sum- ma reuerentia verbum diuinum recitari audiant.

LXXXVIII.

Adorationem vero Christi in sacra cœna præsenti- tis, approbantes, non stabilimus aut denuo in Ecclesiā

reducimus explosam Pontificiam idolatricam adorationem consecrati panis & vini.

LXXXIX.

Non etenim creature, sed omnium rerum creatori presenti in cœna, hunc cultum diuinum inuocationis deferimus & exhibemus: nec cor & mentem ad panem & vinum, sed ad Christum inuisibiliter presentem dirigimus.

XC.

Nec veremur, ne vna adoratione Christi presentis secundum vtramque naturam, totum Christum adorantes, idolomania peccatum incurramus. Non enim nudam carnem, sed vnitam Deitati in vnam Hypostasim Dei verbi, duabus inductis naturis adoramus.

XCI.

Nam vt pie olim D. Damascenus locutus est, vnus est Christus, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum pane & spiritu vna adoratione, cum incontaminata carne eius, non inadorabilem carnem dicentes: Adoratur enim in vna verbi hypostasi.

XCII.

Adoramus itaque Christi Domini ac Saluatoris nostri vtramque naturam, propter carni vnitam Deitatem.

XCIII.

Non enim quartam agnoscimus personam in trinitate, sed vnam personam confitemur, verbi & carnis eius.

Recte

XCVIII.

Rectè & piè ergo dicit Augustinus : Carnem Christi quàm creaturam non negamus, simul cum diuinitate adoramus, & ei non minus quàm diuinitati deseruimus : quia à diuinitate suscepta est, & Deitati vnita.

XCV.

Non nudam ergo humanitatem vel solã, sed diuinitati vnitam, vnum filium Dei verum, & hominem uerum adoramus.

XCVI.

Vna itaq; est adoratio patris, & incarnati filij, & Spiritus sancti : Incarnatum igitur Verbum Dei non absq; sua carne, sed cum illa adoramus.

XCVII.

Vnde & ipse Dei & Mariæ filius in terris ambulans, nunquam se adorari prohibuit : nec adorantes Christum in carne, peccatum idolomaniaë admisisse dicuntur.

XCVIII.

Sic non dubium est, Spiritus sancti afflatu, Pastores & Magos recens natum in stabulo infantem adorasse,

XCIX.

Rectè & piè ergo D. Cyrillus recusare hoc se dicit, ut de Christo quisq; dicat, propter eum, qui hominem induit, eum qui indutus est, veneror, propter inuisibilem, adoro visibilem,

C.

Nam qui ad hunc modum loquitur, Christum in
duas.

duas partes diuidit, & hominem separatim seorsim,
& Deum similiter statuit. Sine controuersia namq; v-
nitatem negat, secundum quam non alter simul ado-
ratur, neq; simul Deus dicitur cum altero, sed vnus
intelligitur Christus Iesus Filius vnigenitus, qui vna
adoratione propria cum carne adoratur.

Quia charta vacabat, hæc verba Lutheri libuit an-
nectere.

Lutherus: Tom. 4. Gene. fol. 182.

*Sicut nos non tantum orantes, sed & baptizantes, absol-
uentes, & absoluti, & accedentes ad sacram Synaxin, quin
etiam ad recitationem promissionum, aut textus Euangelij ge-
nua flectere, vel saltem stare debemus, in signum adorationis,
siue reuerentiæ et gratitudinis. Etsi igitur in coena Domini,
nihil aliud porrigeretur, præter panem & vinum, sicut Sa-
cramentarij blasphemant, tamen est ibi promissio, et vox di-
uina, & Spiritus sanctus operatur per verbum in coena. Ideo-
que decebat nos cum reuerentia accedere: Quanto vero magis
id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus & ve-
rum sanguinem cum verbo. Sic enim Patres adorauerunt
Deum, & promissiones Dei, earumq; signa, quia norunt esse
verbum & promissionem diuinam, &c.*

*Ita nos quoq; cum audimus verbum Dei, si non poplite
flexo, tamen corde humili, cumq; reuerentia & pietate sin-
gulari illud excipere debemus. Sic bonum est, quod Sacra-
mentum Altaris colitur inflexis genibus, quia ibi est verum
corpus & sanguis Domini, item præsentia Spiritus sancti, et
promissio seu verbum diuinum, quod est reuerenter audien-
dum, quia Deus ibi operatur, & ostendit se Dominus, &c.*

*Ac nostræ apparationes vel facies Dei pares, imo supe-
riores sunt omnibus apparitionibus in lege Mosi. Quando ac-
cedo ad*

cedo ad Baptismum, ibi sane statuere debeo, non geri huma-
num aliquid, sed aqua est velum seu instrumentum medium,
sicut etiam verbum quo velatur Deus, da stehet vnser Herr
Gott hinder / & sunt facies diuinæ, per quas nobiscum lo-
quitur, & operatur Deus in particulari seu singulari & in-
diuiduo, Me baptizat, me absoluit, mihi porrigit corpus &
sanguinem suum, ministri lingua & manu. Deus enim ope-
ratur salutem in Baptismo. Atq; ea est presentia seu forma
& Epiphania Dei in his instrumentis. Iustum igitur est, vt si
non corpore, at toto corde inclinemus & reuereamur Deum
loquentem nobiscum.

Ac in Baptismo quidem, semper referendi sunt oculi &
animus ad manifestam apparitionem in Iordane, vbi auditur
vox Patris e' coelo, conspicitur caro Filij, & Spiritus sanctus
in specie columbæ. Sic in nostro Baptismo & coena Domini,
prius est instrumentum medium, quo dat mihi Christus cor-
pus suum, atq; ita reuera pascit & cibatur nos Deus, non Mi-
nister. In Baptismo sonat vox Trinitatis, nec aliter audienda
aut accipienda sunt verba Baptismi. Est igitur ne-
cessaria adoratio ista, si non corporali incurua-
tione, at spirituali reueren-
tia, &c.

F I N I S.

Erratum.

Proposi: XCI. cum pane, lege cum Patre.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



47 13/a, 2


AB: 47 $\frac{13}{a, 2}$

S. 6.

ULB Halle 3
002 692 066





SECUNDA
DISPUTATIO,
DE VERA, REALI
ET SUBSTANTIALI
præsentia corporis & sanguinis Ie-
su Christi, in Sacramento
Altaris.

Præside
D. Andrea Musculo.



Francofordiæ cis Viadrum,
Anno 1574.

